

Phæn. VI.

stentatum & ab uno fulcro ad alterum vel crenâ continuâ vel totidem foraminibus fissum , quot lapis infernè habet annulos his foraminibus perpendiculariter subiectos: Singulis his locis adaptabimus totidem vesicas suprà descriptas , suis instructas valvulis sive ventilibus, ita ut uncis suis imis annulos lapidi insertos pressè apprehendant singulæ: His ita paratis ritè omnibus , adjungemus vesicæ cuilibet juvenem robustum , qui dato signo eam , eodem tempore quo cæteri quoque suas, plenis buccis inflet: Quo factodubium nullum est, quin , si vesicarum & adflantium numerus ponderi molaris faxi fuerit proportionatus, hoc illâ propriè dictâ conspiratione sublime sit futurum & ex trium vel quatuor digitorum altitudine pendulum. Quod si altius elevari quis eandem mollem desideraret, manentibus cæteris, vesicæ saltem pro singulis geminæ aut tergeminæ &c. in eandem seriem colligandæ forent juxta ea quæ sub initium num. III. à nobis dictâ sunt.

V. Tametsi verò tota hæc res curiosa magis quam utilis videri queat ; ostendemus tamen postea utilitatem hujus curiositatis longè maximam in explicando modo quo agere musculi in corporibus animalium articulosque & ossa , & his mediantibus onera ingentia, levare, gestare, trahere aut alias loco - movere solent ; dummodo priùs in causam tantarum virium, quas flatus oris vesicæ immissus acquirit tantisper inquisiverimus. Eam verò cum nec ex vestis, neque ex peritrochii, neque ex cæterarum usitatarum potentiarum naturâ congruè deduci posse videremus (quæ causa etiam est quod novam hanc dixerimus potentiam) ex eo principio commodiùs id fieri posse judicavimus, quod JOH. ALPHONSUS BORELLUS Lib. I. de Motu Anim. Prop. LXXXII. ejusque Coroll. alio licet consilio demonstrat. Verùm cum demonstrationes ejus Geometrico-Mechanicæ ad captum Auditorum nostrorum viderentur minus accommodæ , eodem, quod alibi secuti sumus, consilio hîc etiam uti, & Ingeniosissimi